

et timor et hujusmodi omnia dicuntur dupliciter: vel secundum corporalem passionem; et sic sunt passiones conjunctae, nec remanent in anima separata; vel secundum quod consistunt in apprehensione et affectione intellectiva; et sic accidunt ipsi animae secundum se, et sunt in ipsa post separationem a corpore. Unde etiam Philosophus (7 Ethic., cap. 17 et 12 Metaph., text. 59), ponit delectationem etiam in natura divina.

Sine indigentia Creatorem. Hoc ideo dicit, quia omnia alia agentia ab ipso agunt propter finem alium a se, et ideo acquisitione illius finis indigent; ipse autem Deus propter seipsum omnia facit, ut dicitur Proverb. 16, 4: *Universa propter seipsum operatus est Dominus*; et ideo agit sine indigentia.

Sine habitu omnia continentem. Hoc ideo dicit, quia habitus est eorum quae circa corpus adjacent, in quibus quodammodo ipsum corpus est, sicut in vestimento. Cum autem continere dicatur alio modo in corporalibus quam in spiritualibus (quia in corporalibus, quod inest, continetur ab eo in quo est, sicut aqua a vase; in spiritualibus autem quod inest, continet illud in quo est, sicut anima corpus) Deus, qui est in rebus sicut continens ipsas, non dicitur in eis esse sicut habens habitum est in habitu, ut includatur ab eis: est enim intra omnia non inclusus. Et ideo quamvis sit in omnibus sicut continens, non tamen omnia se habent ad ipsum per modum habitus.

Non enim ex compositis Deus, qui vita est, subsistit. Ad intellectum hujus litterae sciendum est, quod quando aliquid substantialiter componitur ex partibus, perfectio est ipsius compositi, et non alicujus partium: sicut forma non habet esse, nec

materia, sed totum compositum. In Deo autem invenitur perfectio et quantum ad esse, et quantum ad bene esse. Quantum ad esse, quia vita est: unde si vita divina esset alicujus ut compositi, oporteret quod ea ex quibus illud componeretur, non essent viventia. Et quia vita non habet aliquid admixtum quod non sit vita, sicut nec esse, ut dicit Boetius (lib. de Hebdom., cap. 1), ideo non potest esse ut Deus, qui non tantum vivit per vitam, sed ipsemet est vita, sit ex aliquibus compositis ad invicem ad constitutionem alicujus tertii. Quantum ad bene esse consideratur divina perfectio quantum ad tria. Primo quantum ad potestatem, et secundum hoc ipse Deus dicitur virtus et non tantum habens virtutem. Unde non potest esse quod componatur ex aliquibus, quia in componentibus non esset virtus illa, et ita componeretur ex infirmis, id est carentibus virtute quae est totius. Virtus autem non habet aliquid admixtum, sicut nec esse; sed habens virtutem potest habere infirmitatem admixtam. Secundo quantum ad pulcritudinem, et sic Deus dicitur lux. Si autem ista lux sequeretur compositionem aliquam, componentia non essent lucifera: sicut videmus quia ex congregatione diaphani efficitur corpus lucidum, ut chrysalis, cum tamen partes quas dispersit, non habent puram luciditatem. Nihil autem obscurum in Deo potest esse, qui est lux, sicut nec non esse in esse. Tertio quantum ad naturae subtilitatem, dicitur enim spiritus essentialiter. Unde formalitas sua, sive quidditas, non est ex aliquibus disparibus, id est dissimiliter se habentibus ad formalitatem, sicut humanitas ex anima et corpore, per quam homo formaliter est.

Vivens per totum: quia nihil est in eo nisi vita.

DISTINCTIO IX.

De distinctione personarum.

Nunc ad distinctionem personarum accedamus. Teneamus ergo, ut docet Augustinus (Fulgentius, in lib. de Fide ad Petrum, cap. 4), Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum esse naturaliter Deum; nec tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, nec ipsum Filium esse qui Pater est, nec Spiritum sanctum esse qui Pater est aut Filius. Una enim est essentia Patris et Filii et Spiritus sancti: in qua non est alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.

Hic de coaeternitate Filii cum Patre.

Genitus est enim a Patre Filius, et ideo alius; nec tamen ante fuit Pater quam Filius, coaeternae sunt enim sibi tres personae.

Argumentatio Arianorum.

Sed contra hoc inquit haereticus, ut refert Ambrosius, (in 1 lib. de Fide (1) ad Gratianum, cap. 3). Omne quod natum est, principium habet; et ideo quia Filius natus est (2), principium habet, et esse coepit. Quod haereticorum ore sic dictum est. Nam ipse Arius, ut meminit Augustinus (in lib. 6 de Trinit., cap. 1), dixisse fertur: si Filius est, natus est; si natus est, erat (3) quando non erat Filius.

(1) *Al. de Trinit.*

(2) *Al. deest natus.*

(3) *Al. et erat. In textu Magistri legitur erat tempus.*

Responsio Augustini ca/hol/ca.

Qui hoc dicunt, non intelligunt etiam natum esse de Deo sempiternum esse, ut sit coaeternus (1) Patri Filio; sicut splendor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, coaevus (2) est illi: et esset coaeternus, si ignis esset aeternus.

Oppositio Augustini contra haereticum.

Item, si Dei Filius (inquit Augustinus ibidem) virtus et sapientia Dei est, nec unquam fuit Deus sine virtute et sapientia; coaeternus est Deo Patri Filio. Dicit autem Apostolus (1 Corinth. 4), Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam. Aut ergo non fuit quando non fuit Filius, aut aliquando Deus non habuit virtutem et sapientiam; quod dementis est dicere: constat enim quia semper habuit sapientiam. Semper ergo habuit Filium.

Responsio Ambrosii ad idem auctoritate facta.

Eidem quoque Arianicae quaestioni Ambrosius (ubi supra) in hunc modum respondet: *Ego, inquam, Filium natum esse confiteor: quod reliquum est infidelitatis, horresco. Scriptum est enim in veteri Testamento (Isa. 45, 10), ut vel unum ex pluribus dicam: Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit. Quis ergo hoc dicit, Pater, an Filius? Si Filius, ante me, inquit, non fuit alius Deus; si Pater, post me, inquit, non erit; hic priorem, ille posteriorem non habet. Invenim enim in se, et Pater in Filio, et Filius*

(1) *Al. coaevus.*

(2) *Al. coaeternus.*

in Patre cognoscitur. Cum enim Patrem dixeris, ejus etiam Filium designasti, quia nemo ipse est pater sibi; cum Filium autem, etiam Patrem lateris, quia nemo ipse sibi filius est. Nominis nec Filius sine Patre, nec Pater potest esse sine Filio. Semper ergo Pater, semper et Filius est.

Insectio Ambrosii in haereticos.

Item die, inquam, haeretice, mihi, fuit ne quando Deus omnipotens Pater non erat, et Deus erat? Nam si Pater esse coepit, Deus ergo primo erat, et postea Pater factus est: quomodo ergo immutabilis Deus est? Si enim ante Deus, postea Pater fuit, utique generationis accessione mutatus est. Sed avertat Deus hanc amentiam, quia semper habuit sapientiam, semper habuit Filium.

Ineffabile est, quomodo Filius sit, et non habent priorem latrem, sicut modus generationis inintelligibilis est, et ineffabilis.

Sed quaeris a me (inquit Ambrosius, ibid.), circa medium quomodo si Filius sit, non priorem habeat Patrem. Quare (inquit) abs te quomodo, vel quando (1) Filium putes esse generatum. Mihi enim impossibile est generationis scire secretum, mens deficiit, visio silet, non mea tantum, sed et Angelorum, supra Potestates et supra Angelos, et supra Cherubim et supra Seraphim et supra omnem sensum est, quia scriptum est (Philip. 4, 7): *Pax Christi supra omnem sensum est.* Et si pax Christi est supra omnem sensum, quomodo tanta generatio non est supra omnem sensum? Tu ergo manum ori admove. Scrutari non licet superna mysteria. Ledit scire quod natus sit, non licet discere quomodo natus sit. Illud negare non mihi licet, hoc quaerere metus est. Ineffabilis enim est illa generatio: unde Isaia (cap. 55, 8): *Generationem ejus quis enarrabit?*

Quidam praesumunt discutere generationis seriem.

Quidam tamen de ingenio suo praesumentes, dicunt, illam generationem posse intelligi, et alia hujusmodi, inherentes illi auctoritati Hieronymi super Ecclesiam (in fin., cap. 5): *In sacris Scripturis quis saepissime non pro impossibili, sed pro difficili ponitur, ut ibi: Generationem ejus quis enarrabit?* Sed hoc non dicit Hieronymus ideo quod generatio Filii aeterna plene intelligi vel explicari possit a quoquam mortali; sed quia de ea aliquid intelligi vel dici potest. Quidam tamen hoc accipiunt dictum de temporali generatione Christi.

Utrum debeat dici, semper gignitur, vel semper genitus est Filius.

Hic quaeri potest, cum generatio Filii a Patre nec principium habeat nec finem, quia aeterna est, utrum debeat dici, Filius semper gignitur, vel semper genitus est, vel semper gignetur. De hoc Gregorius super Job (lib. 29 Moral., cap. 1) ait: *a Dominus Deus Jesus in eo quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est. Vel potius, quia nec coepit nasci nec desit, dicamus verius, semper natus. Non autem possumus dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero, ut aeternus designari valeat et perfectus, semper dicimus et natus; quatenus et natus ad perfectionem pertinet, et semper ad aeternitatem. Quamvis per hoc ipsum quod perfectum dicitur, multum ab illius veritatis expressione deviamus: quia quod factum est, non est, nec potest dici proprie perfectum. Sed habetio inchoatum, excedit Dei resonantiam. Et Dominus nostrae infirmitatis verbis condescendens (Math. 5, 45): *Estote, inquit, perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Super illud locum etiam Psalmi 2: *Ego hodie genui te,* de hac (2) generatione Filii loquitur Augustinus ita: *Quamquam per hoc quod dicit, Hodie, etiam posset intelligi dies ille quo Christus secundum hominem natus est; tamen, quia hodie praesentium significat, atque in aeternitate nec praeteritum quidquam est, quasi esse desiderii, nec futurum, quasi non dum sit, sed praesens tantum, quia quiddam aeternum est, semper est, divinus dicitur intelligitur (3) de sempiterna generatione sapientiae Dei.* Ecce his verbis ostendit Augustinus, quod generatio Filii semper est, nec praeterit, nec futura est quia aeterna est. Ideo enim dixit: *Genui, ne novum**

(1) *Al. deest vel quando.*

(2) *Al. additur itaque.*

(3) *Al. tamen accipitur.*

mutaretur, scilicet ne videretur incipisse. Hodie, dixit, ne praeterita generatio videretur. Ex his ergo verbis Prophetarum, ut ait Joannes Chrysostomus (homil. 2 in Epist. ad Heb. 1 in fin.), nihil aliud manifestatur, nisi quia ex ipsa essentia Patris semper genitus est Filius.

Origines videtur dicere contrarium: ait enim quod semper generatur Filius a Patre.

Origines vero super Hieroniam (cap. 11, hom. 6) dicit, quod Filius semper generatur a Patre, his verbis: *Salvator noster est sapientia Dei; sapientia vero est splendor aeternae lucis. Salvator ergo noster splendor est claritatis. Splendor autem non semel nascitur et desinit; sed quibus ortum fuerit lumen, ex quo splendor ortur, toties writur etiam splendor claritatis. Sic ergo Salvator semper nascitur. Unde ait (in libro Sapientiae, Prov. 8, 25): *Ante omnes coelestis generat me Dominus (1): non, ut quidam male legit, generavit.* His verbis aperte ostendit Origines, sane dici posse et debere, semper Filius nascitur: quod videtur contrarium illi verbo Gregorii praemisso, scilicet: *Non possumus dicere, semper nascitur.**

Exponit praemissa verba Gregorii, ne putetur inter doctores esse contrarietas.

Sed ne tanti auctores sibi in tanta re contradicere videantur, illa Gregorii verba bene interpretetur. *a Dominus (inquit) Jesus ante tempora de Patre natus est, vel potius quia nec coepit nasci, nec desit, dicamus verius, semper natus.*

Quaestio de ipsis verbis Gregorii.

Sed quomodo verius dicitur hoc, scilicet quod Filius semper natus est, quam illud, scilicet quod de Patre ante tempora natus est? Illud enim sincera et catholica fides tenet ac praedicat, ut istud. Quare ergo ait, dicamus verius, cum utrumque pariter sit verum, nisi quia volebat hoc intelligi ad majorem evidentiam et expressionem veritatis dici quam illud? His etiam verbis omnis estimo dandi versutus haereticis abstruatur auditus, quibus Christi secundum Deitatem generatio sine initio et sine fine esse, ac perfecta (2) monstratur. Non autem adeo aperte monstratur veritas, cum dicitur: *Filius ante tempora genitus est de Patre, vel Filius semper nascitur de Patre: et ideo dicit Gregorius non possumus dicere, semper nascitur. Non, inquam, ita convenienter; non ita congrue ad explanationem veritatis; potest tamen dici si sane intelligatur. Semper enim nascitur Filius de Patre, ut ait Origines: non quod quotidie iteretur illa generatio, sed quia semper est. Semper ergo nascitur, id est, natus est ejus sempiterna est.*

Quod Filius semper generatur, probat ea dicitis Hilarii.

Hilarius quoque dicit Filium nasci ex Patre, in libro 7 de Trinit. (paulo post medium) his verbis: *a Vivens Deus, et naturae aeternae vivens potestas est, et quod cum sacramento scientiae suae ex eo nascitur, non potuit aliud esse quam vivens. Nam cum ait (Joan. 6, 38): *Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, docuit vitam in se per viventem Patrem inesse. Ecce hic habes quia Filius nascitur de Patre. Item in eodem: Cum dicit Christus (ibid. 5, 26): *Sicut Pater habet vitam in se, sic et Filio dedit vitam in habere in semetipso, omnia viva sua ex vivente testatus est. Quod autem ex vivo vivum natum est, habet natalitatis profectum (3) sine novitate naturae. Non enim novum est quod ex vivo generatur in vivum, quia nec ex nihilo est; et vita quae natalitatem sumit ex vita, necesse est per naturae unitatem et perfectae natalitatis sacramentum, ut in vivente vivat, et in se habeat vitam viventem.* Ecce hic habes quia generatur ex vivo vivens Filius. Item in eodem (parvo post): *a In Deo totum quod est, vivit. Deus enim vita est, et ex vita non potest quidquam esse nisi vivum; neque ex derivatione, sed ex virtute natalitatis est. Ac sic dum totum quod est, vivit, et dum totum quod ex eo nascitur, virtus est; habet natalitatis-nati Filius, non demutationem (4). Et hic dicit, quia nascitur. Item in 9 lib. de Trinit. (post med.): *a Donat Pater Filio tantum esse quantum est ipse, cui immensibilis esse imaginem sacramentum natalitatis imparatur, quoniam ex se in sua forma generat. Hic dicit, quia generat Pater Filium.****

(1) *Al. omittitur Dominus.*

(2) *Al. esse perfecta.*

(3) *Al. perfectum.*

(4) *Al. non de mutatione et h'c dicit etc.*

Breviter docet, quid de hoc concedendum sit.

Dicamus ergo Filium natum de Patre ante tempora, et semper nasci de Patre; sed congruentius semper natum, et sempiternum fatemur ab aeterno esse, et Patri coaeternum, id est ostenditur. Ut ergo Pater est aeternus, ita et Filius est aeternus; sed Pater sine auctore, Filius vero non: quia Pater innascibilis, Filius natus est, ut ait Hilarius (in 13 lib. de Trinit., parum ante med.), aliud est sine auctore semper esse aeternum, aliud Patri, id est auctori, esse coaeternum. Ubi autem Pater auctor est, ibi nativitas est; quia sicut nativitas ab auctore est, ita et ab aeterno auctore aeterna nativitas est. Omne autem quod semper est, etiam aeternum est; sed non tamen omne quod aeternum est, etiam innatum est: quia quod ab aeterno nascitur, habet aeternum esse quod natum est; quod autem non natum est, id cum aeternitate non natum est: quod vero ex aeterno natum est, id si non aeternum natum est, jam non erit et Pater auctor aeternus. Si quid ergo et qui ab aeterno Patre natus est, ex aeternitate defuerit, ipsam auctori non est ambiguum defuisse: quia si gignenti est infinitum gignere, et nascenti infinitum etiam nasci est. Medium enim quid inter nativitatem Dei Filii et generationem Dei Patris nec sensus nec ratio (1) admittit: quia et in gene-

(1) *Al. deest nec ratio.*

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister ea quae pertinent ad unitatem essentiae, hic determinat ea quae pertinent ad distinctionem personarum, et dividitur in partes duas: in prima determinat de personis distinctis; in secunda de nominibus, quibus et personarum distinctio et essentiae unitas designatur, 22 dist.: *Post praedicta, disserendum videtur de nominum diversitate.* Prima in duas: in prima determinat de personis quantum ad ipsarum distinctionem: in secunda quantum ad earum aequalitatem, 19 dist.: *Nunc postquam coaeternitatem trium personarum pro modulo facultatis nostrae insinuavimus, jam de earundem aequalitate aliquid eloqui superest.* Prima in duas: in prima determinat de generatione Filii, per quam distinguitur a Patre; in secunda de processione Spiritus sancti, per quam distinguitur ab utroque, 10 distinct.: *Nunc vero post Filii aeternitatem, de Spiritu sancto . . . disseramus.* Prima in duas: in prima asserit veritatem; in secunda excludit errorem, ibi: *Sed contra hoc inquit haereticus.* Est autem error Arii, qui posuit, generationem non esse ab aeterno: unde sequatur quod per eam distinguitur Filius a Patre essentialiter.

Sed contra hoc inquit haereticus, haec pars dividitur in duas. In prima ponit errorem, et rationem erroris, quae talis est. Omne quod nascitur, aliquando non fuit; ad hoc enim nascitur ut sit. Sed Filius est natus a Patre. Ergo aliquando non fuit; et ita non est coaeternus Patri. In secunda excludit, ibi: *Qui hoc dicit, non intelligit etiam natum esse de Deo, sempiternum esse;* et dividitur in tres partes: primo obviat per rationes Augustini; secundo per Ambrosii rationes, ibi: *Eidem quoque Arianicae quaestioni Ambrosius in hunc modum respondet;* tertio per rationes Hilarii, ibi: *Et, ut ait Hilarius in 12 lib. de Trinit., aliud est sine auctore semper esse aeternum, aliud Patri, id est auctori, esse coaeternum.* Circa primum duo facit: primo Augustinus solvit rationem, secundo improbat positionem, ibi: *Item si Dei Filius, inquit Augustinus, virtus et sapientia Dei est, nec unquam fuit Deus*

ratione nativitas est, et in nativitate generatio est, quia sine utroque neutrum est. Utrumque ergo sine intervallo sui est.

Argumentatio haeretici.

Sed inquit haereticus: Omne quod natum est, non semper fuit, quia in id natum est ut esset. Nemo augetur, quin ea quae in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint. Sed aliud est ex eo nasci quod non semper fuit; aliud est ex eo natum esse quod semper est. Ibi ne semper fuit qui pater est, nec semper pater est; et qui non semper est pater, non semper genuit. Ubi autem semper est pater, semper filius est. Quod si semper Deo Patri proprium est quod semper est Pater, necesse est Filio semper esse proprium quod semper est Filius. Quomodo ergo cadet in intelligentiam nostram, ut non semper fuerit cui proprium est semper esse quod natum est? Natum ergo unigenitum Deum confitemur, sed natum ante tempora; nec ante esse quam natum, nec ante natum quam esse: quia nasci quod erat jam non nasci est, sed seipsum denotare nascendo. Hoc autem humanum sensum et intelligentiam mundi excedit: non hoc capit ratio humanae intelligentiae, sed prudentiae fidelis professio est.

sine virtute et sapientia, coaeternus est ergo Deo Patri Filius. Solvit autem rationem interimendo hanc: Omne quod natum est, aliquando non fuit; quod manifestatur per simile in corporalibus; quia splendor oritur ab igne, nec ignis est prius tempore quam splendor. Improbat autem positionem tali argumento. Christus est Dei virtus et sapientia, 1. Corinth., 1. Sed Deus Pater nunquam fuit sine virtute et sapientia. Ergo Deus Pater nunquam fuit sine Filio.

Eidem quoque Arianicae quaestioni Ambrosius in hunc modum respondet. Hic excludit praedictum errorem per verba Ambrosii, et dividitur in duas: in prima excludendo errorem, astruit divinae generationis aeternitatem; in secunda inquiri quibus verbis aeternitas convenientius designatur, ibi: *Hic quaeri potest . . . utrum debeat dici: Filius semper gignitur vel semper genitus est, vel semper gignetur.* Prima in duas: In prima probat positionem; secundo respondet ad rationem, ibi: *Sed quaeris a me, inquit Ambrosius, quomodo si Filius sit, non priorem habeat Patrem.* Improbat autem positionem duabus viis. Prima est per auctoritatem Isa. 45, 10: *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit;* et patet in littera. Secunda est per rationem, ibi: *Item dic, inquam, mihi, haeretice, sicut quando omnipotens Deus Pater non erat, et Deus erat?* et talis est. Quodcumque est Pater, est Filius. Si igitur non semper fuit Filius, Deus omnipotens non semper fuit Pater, et aliquando factus est Pater. Hoc autem non potest esse sine sui mutatione. Ergo ipse mutatus est: quod haereticus non concessit.

Sed quaeris a me inquit, Ambrosius, quomodo si Filius sit, non priorem habeat Patrem. Hic solvit objectionem, et circa hoc duo facit: primo obviat, ostendendo incomprehensibilitatem divinae generationis; in secunda arguit Magister praesumptionem quorundam nentium comprehendere, et solvit auctoritatem quam pro se inducunt, ibi: *Quidam tamen de ingenio suo praesumentes, dicunt illam generationem posse intelligi.* Obviatio Ambrosii habet hunc modum. Illa probatio nihil valet quae non magis se habet ad unam partem quam ad

aliam. Sed ratio haeretici innitebatur huic quod non poterat inveniri ab homine modus generationis divinae, si ponatur ab aeterno esse. Sed eadem dubitatio remanet, si ponatur non ab aeterno esse, quia generatio illa est inenarrabilis et incomprehensibilis. Ergo obiectio haeretici nihil probat.

Hic quaeri potest . . . utrum debeat dici: Filius semper gignitur, vel semper genitus est, vel semper gignetur. Hic ostendit quibus verbis aeternitas generationis designari debeat, et circa hoc quatuor facit: primo probat per auctoritatem Gregorii et Augustini, quod debet signari per verba praeteriti temporis, propter perfectionem ipsius: secundo inducit contrarietatem per verba Origenis, ibi: *Origines vero (1) super Hieremiam ait;* tertio solvit, ibi: *Sed ne tanti auctores sibi contradicere in re tanta videantur, illa verba Gregorii benigne interpretamur;* quarto confirmat solutionem per verba Hilarii, ibi: *Hilarius quoque dicit Filium natum ex Patre;* et ultimo concludit quaestionis veritatem, ibi: *Dicamus ergo Filium natum de Patre ante tempora.*

Et, ut ait Hilarius in 12 lib. de Trinit., aliud est sine auctore semper esse aeternum, aliud Patri, id est auctori, esse coaeternum. Hic excludit errorem per verba Hilarii, et duo facit: primo improbat positionem; secundo solvit objectionem, ibi: *Sed inquit haereticus.* Improbat autem hoc modo. Sicut pater se habet ad generationem, ita Pater aeternus ad aeternam generationem. Sed Deus est Pater aeternus, ut haeretici concedunt. Ergo et generatio qua generat, fuit semper, et ab aeterno. Sed ab aeterno generare est aeternum nasci. Ergo et Filius ab aeterno est natus. Et per hoc etiam respondet ad rationem ipsorum, distinguendo hanc: Omne quod natum est, coepit esse. Si enim intelligatur de eo quod nascitur a non semper gignente, sicut est in creaturis, verum est; si de eo quod nascitur a semper gignente, falsum est.

QUAESTIO I.

Circa hanc partem quaeruntur duo: Primo de distinctione Filii a Patre. Secundo de aeternitate.

Circa primum duo quaeruntur: 1.º utrum propter distinctionem possit dici Filius alius a Patre; 2.º utrum Pater et Filius propter eandem distinctionem possint dici plures aeterni.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Filius sit alius a Patre.

(1 p. qu. 51, art. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod Filius non sit alius a Patre. Alius enim, secundum Priscianum (lib. 2, cap. de Pronomine) (2) est relativum diversitatis substantiae. Sed Pater et Filius sunt unius substantiae. Ergo Filius non potest dici alius a Patre.

2. Item, unitas substantiae impedit quod Filius non potest dici aliud esse a Patre, propter diversitatem significatam per ly *aliud*. Sed *alius* et *aliud*

(1) *Al. per verba eorum, ibi: Eorum vero.*

(2) In tract. de Arte Grammatica, quem ad Julianum consulens scripsit, lib. 2, cap. de Pronomine. Priscianum hunc primo fuisse christianum, sed postea fidei desertorem Volaterranus refert (ex edit. P. Nicolai).

non differunt nisi secundum modum significandi: quia *alius* masculinae, *aliud* neutraliter significat. Cum igitur modus significandi non variet significationem, videtur quod nec etiam alius a Patre dici possit.

5. Praeterea, si Filius dicitur alius a Patre, hoc non est nisi quia Filius est a Patre. Sed Pater est a seipso. Ergo Pater erit alius a seipso.

4. Praeterea, proprietatis secundum Proprium (in Praedicabilibus, cap. de Different.), non facit alietatem, sed magis alietatem. Pater autem non distinguitur a Filio nisi per proprietatem relationis. Ergo Pater non potest dici alius a Filio, sed aliter.

Contra, quaecumque distinguuntur realiter, unum eorum est alia res ab alio. Sed Pater et Filius, ut supra dictum est, dist. 2, quaest. unica, art. 3, distinguuntur realiter. Ergo Pater est alia res a Filio; et eodem modo potest dici esse alius a Filio. Hoc etiam videtur per verbum Augustini (1) in littera.

Solutio. Respondeo dicendum, quod in divinis invenimus tria, scilicet essentiam, personam, proprietatem, quibus aptantur tria genera. Essentiae enim, quia communis est et indistincta, aptatur neutrum genus, quod est informe non importans sexus distinctionem. Personae vero, quae est distincta et significatur ut aliquid existens in natura divina, aptatur masculinum genus quod est genus distinctum, et non femininum propter imperfectionem. Proprietati autem, quae significatur per modum formae, aptatur genus femininum; sic etiam essentiae aptari potest, in quantum essentia significatur ut forma; et ideo propter unitatem essentiae non potest dici Pater alius a Filio, sed propter distinctionem personae dicitur alius.

Istud autem videtur magis esse adaptatio, quam expressio proprietatis locutionis. Unde dicendum aliter, quod hoc contingit, quia neutrum genus substantivatur; et ideo importat diversitatem simpliciter et absolute, quae est diversitas essentiae; sed masculinum genus et femininum tenentur adiective; unde ponunt diversitatem circa terminos personales qui in locutione ponuntur, cum dicitur: *Filius est alius a Patre;* et hoc explicabitur in solutionibus argumentorum.

Ad primum ergo dicendum, quod *alius* semper significat diversitatem substantiae. Sed substantia dicitur dupliciter: quandoque enim sumitur pro essentia, sicut est in usu latinorum; quandoque pro supposito essentiae, vel pro re naturae primi praedicamenti, quae dicitur hypostasis apud Graecos; et hoc secundo modo non est eadem substantia Patris et Filii: quia sic substantia significat personam; et haec ratione potest dici alius.

Ad secundum dicendum, quod neutrum genus substantivatur, et non masculinum. Substantivum autem significationem suam habet absolutam; sed adiectivum ponit significationem suam circa subiectum. Quando autem aliquid dicitur absolute, intelligitur de eo quod simpliciter est, sicut ens, absolute dictum, significat substantiam; et ideo quia alius essentiae est simpliciter alietas, ideo neutrum genus substantivatur importat alietatem essentiae. Sed genus masculinum, quia adiective tenetur, ponit alietatem circa suum subiectum. Unde si terminus personalis est suum substantivum, desi-

(1) Vel potius per verbum Fulgentii qui sub nomine Augustini citatur a Magistro (ex edit. P. Nicolai).

gnat distinctionem personarum. Et ideo haec est vera: *Pater est alius a Filio*. Si autem sit terminus essentialis, designat diversitatem substantiae; unde haec est falsa: *Pater est alius Deus a Filio*. Et similiter neutrum adjectivum sumptum, quando adiungitur termino personali, importat alietatem personae, ut cum dicitur: *Pater est aliud suppositum a Filio*. Unde hoc non contingit ex variata significatione, sed ex eo quod alietas significata in masculino et neutro, non ad idem refertur.

Ad tertium dicendum, quod haec est impropria: *Pater est a se*; et exponenda est per negationem; id est, non est ab alio. Ista autem est propria: *Filius est a Patre*. Unde non est simile.

Ad quartum dicendum, quod proprietas in divinis non tantum est proprietas, sed etiam subsistens: paternitas enim est ipse Pater; et ideo proprietas facit alium magis proprie, quam alterum. De hoc tenet infra plenius habebitur, dist. 26, quaest. 2, art. 2.

ARTICULUS II.

Utrum Pater et Filius possint dici plures aeterni. — (1 p., qu. 59, art. 5; et infra, dist. 55, art. 4.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod Pater et Filius non possint dici plures aeterni, per id quod habetur in Symbolo Athanasii: *Et tamen non tres aeterni*.

2. Praeterea, Augustinus (3 de Trinit., cap. 8): *Quidquid in divinis ad se dicitur, singulariter de tribus, et non pluraliter praedicatur*. Sed aeternus ad se dicitur: non enim est relativum. Ergo singulariter de tribus dicitur, et non pluraliter.

3. Praeterea, sicut una Deitas est trium personarum, ita etiam est una aeternitas, cum aeternitas sit ipsa divina substantia. Sed non potest dici: *Pater et Filius sunt plures dii*; propter unitatem Divinitatis. Ergo nec etiam propter unitatem aeternitatis potest dici: *Pater et Filius sunt plures (1) aeterni*.

4. Sed contra est quod habetur in symbolo Athanasii, quod tres personae sunt sibi coaeternae.

Si deas, quod hoc est, quia Deus est substantivum, sed aeternus est adjectivum, et ideo aeternus recipit pluralem numerum, secundum numerum suppositorum. Contra, adjectivum significatur per modum accidentis. Sed in Deo non potest esse aliquid accidentis, quia, sicut dicit Boetius (lib. 1 de Trinit., cap. 5), cetera praedicamenta cum in divinam venerint praedicationem mutantur in substantiam. Ergo non potest ibi esse adjectivum.

Praeterea, adjectivum trahit numerum a substantivo. Sed aeternus est adjectivum. Cum ergo Pater et Filius sint plures quidam, videtur quod debeant dici aeterni.

Solutio. Respondeo dicendum, quod haec est differentia inter adjectiva et substantiva: quia substantiva significant per modum substantiae, et ideo significant rem suam absolute; et ideo substantivum non dicitur in plurali numero, nisi formatio sua numeretur; adjectivum autem significat per modum accidentis, quod non habet esse absolutum, nec

(1) *Al. deest plures.*

unitatem: sed esse suum et unitas sua dependet ex eo cui inhaeret. Unde etiam non multiplicatur secundum numerum per divisionem alicujus quod sit pars sui, sicut species substantiarum multiplicatur per individua, secundum divisionem materiae. Sed accidens multiplicatur secundum divisionem subjecti in quo est unde haec albedo est alia ab illa, inquantum haec est; huius, et illa illius; et ideo adjectivum non habet numerum pluralem, nisi ex parte suppositorum.

Dicendum igitur, quod omnes termini significantes substantiam per modum substantiae, sicut sunt substantiva, non praedicantur in plurali de tribus personis, eo quod formatio significata, scilicet ipsa essentia divina, non dividitur. Termini vero significantes substantiam adjectivae per modum inhaerentis, vel assequentis substantiam, ut dicit Damascenus (1 Fid. orth., cap. 1), praedicantur in plurali de tribus personis, propter pluralitatem suppositorum. Sed tamen in tribus terminis, qui significant substantiam adjectivae, est ordo. Quaedam enim significant ut inhaerent, non significantes substantiam quantum ad modum significandi quem grammatici considerant dicentes, nomen significare substantiam cum qualitate, sicut verba et participia; et ista nullo modo debent praedicari in singulari, quia significant per modum actus, qui non significatur nisi ut inhaerens. Quaedam autem significant substantiam quantum ad modum consideratum a grammaticis, sicut nomina adjectiva. Omne enim nomen significat substantiam et qualitatem. Sed forma quae est qualitas, significat ut inhaerentem (1); et talia possunt magis praedicari singulariter, et praecipue quia possunt substantiari, sicut aeternus, et huiusmodi. Quando tamen talibus adjectivis additur per compositionem aliqua praepositio denotans habitudinem personae ad personam, magis trahuntur ad suppositum; et tunc nunquam debent praedicari in singulari, sed tantum in plurali, sicut coaeternus.

Dico igitur ad primum, quod si aeternus substantive sumatur, tunc praedicatur in singulari de tribus; et sic accipit Athanasius. Si adjectivae, tunc praedicatur pluraliter. Sed coaeternus semper debet pluraliter praedicari, propter habitudinem personae ad personam, quam importat.

Ad secundum dicendum, quod sicut dictum est, in corp. art., adjectiva non habent numerum ex seipsis, sed ex suis suppositis; et ideo aeternus, quamvis non numeretur ex seipso, quia absolutum est, tamen praedicatur in plurali propter pluralitatem suppositorum, quae relativa sunt.

Et per hoc patet solutio ad tertium: quia Deus non est adjectivum, ut recipiat numerum ab alio, sicut aeternus. Unde non posset pluraliter praedicari nisi propter pluralitatem suae formae: quam pluralitatem non est in Deo ponere.

Ad quartum dicendum, quod quamvis secundum rem non sit accidens in divinis, tamen quantum ad modum significandi potest aliquid ut adiacens significari, vel assequens substantiam; et inde sunt adjectiva in divinis.

(1) *Nicolai*, nomen formae, quae est qualitas significat eam ut etc.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de coaeternitate Filii ad Patrem; et quaeruntur duo: 1.º utrum Pater alio modo sit prior Filio; 2.º si non, sed generatio est aeterna, quibus verbis significari debeat.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Pater sit prior Filio.

(Opusc. 1, cap. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod Pater sit prior Filio. Sicut enim se habet corruptio ad desitionem, ita se habet generatio ad inceptionem. Sed omne quod corrumpitur, desinit esse. Ergo omne quod generatur, incipit esse per generationem. Ergo Filius coepit esse; et ita est posterior Patre.

2. Praeterea, nihil accipit aliquid, nisi quod non habet. Sed omne quod generatur, accipit esse a generante. Ergo omne quod generatur, ante generationem non habet esse; et sic idem quod prius.

3. Praeterea, principium naturaliter prius est eo cuius est principium. Sed Pater est principium Filii. Ergo etsi non tempore, saltem natura est prior ipso.

4. Item, dare esse est aliqua dignitas. Sed Pater dat esse suum Filio. Ergo ad minus dignitate Pater est prior Filio.

Contra, omne illud quod aliquid est prius, non est simpliciter primum. Si ergo Filio esset Pater prior, Filius non esset simpliciter primum. Sed omnes dicunt Deum esse primum principium, sicut dicit Philosophus (1 Metaphys., text. 31) (1). Ergo Filius non esset Deus: quod Ariani concedunt.

Solutio. Respondeo dicendum, quod Pater nullo modo est prior Filio, neque duratione, neque natura, neque intellectu, neque dignitate: in Patre enim et Filio non possumus nisi duo considerare. Vel id quod absolutum est: et hoc utrique commune est: unde ex hoc unus non habet prioritatem ad alium, cum essentia divina non sit divisibilis, ut supra ostensum est, in hac dist., qu. 1, art. 1. Vel id quod est ad aliquid. Relativorum autem est simul esse natura, secundum Philosophum (in praedictam, cap. de relat.), et etiam tempore: quia potest se ponit, et perempta se perimunt; et etiam intellectu, cum unum per alterum definiatur: quamvis enim in hominibus ille qui est pater, sit prior eo qui est filius, ut Socrates Platone; nihilominus tamen ista duo relativa, inquantum relativa sunt, pater et filius simul sunt omnibus modis praedictis. Unde patet quod Pater nullo modo potest esse prior Filio; neque secundum id quod absolutum, neque secundum id quod ad aliquid est.

Ad primum ergo dicendum, quod generatio quae opponitur corruptioni, est mutatio; et tali generationi semper annexa est inceptio. Sed generatio, prout est in divinis, non est mutatio, ut supra dictum est, dist. 4, quaest. 1, art. 1, sed ope-

(1) Non text. 31, ut notabatur prius, nec etiam 15, ut in inversis characteribus putari posset immutatum, nec in ullo alio textu habetur; sed cap. 11, ante textus distinctos, ubi dicitur Deus causa et principium existimari ab omnibus vel omnibus videri (ex edit. P. Nicolai).

ratio naturae divinae prout est in Patre. Et quia naturalis operatio semper sequitur id cuius est, cum natura divina in Patre sit aeterna, et generatio erit aeterna.

Ad secundum dicendum, quod illud quod accipit aliquid, non habet illud a se, non tamen sequitur quod non habeat illud simpliciter: quia potest esse quod illud accipere nunquam inceperit; et ita Filius accipit esse a Patre, nec habet esse a se, sed ab aeterno a Patre accipit esse.

Ad tertium dicendum, quod principium potest dupliciter considerari: vel id quod est principium, et hoc est prius naturaliter eo cuius est principium; vel secundum relationem principii, et sic est simul naturaliter cum principio. Si igitur esset aliquis ab eodem habens quod sit aliquis et quod sit ad aliquid; omnino simul esset naturaliter cum eo ad quod diceretur. Et quia in divinis Pater ab eodem habet quod sit aliquis et quod sit Pater; est simul natura cum Filio, non solum inquantum est Pater, sed simpliciter.

Ad quartum dicendum, quod proprietas quae Pater dat esse, est dignitas sua. Sed quia dignitas est de absolutis, ideo eadem dignitas est in Patre et Filio, et eadem dignitas quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; sicut paternitas in Patre est divina essentia vel divina bonitas, et eadem essentia in numero vel bonitas, est filiatio in Filio.

ARTICULUS II.

Utrum generatio divina debeat significari per tempus praesens. — (Supra, dist. 8, qu. 1, art. 5.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod generatio divina debeat significari per praesens tempus. Praesens enim maxime aeternitati competit, eo quod non habet successionem. Sed generatio divina est aeterna. Ergo debet significari per praesens tempus.

2. Praeterea, Avicenna (tract. 6 Metaph., cap. 2) distinguit duplex agens: quoddam quod est causa fieri tantum, et istud non influit in rem nisi dum est in fieri; quoddam autem quod est principium essendi, et hoc agens non cessat ab influendo in causatum suum quamdiu habet esse. Constat autem quod Pater non est principium Filii sicut principium fieri, quia Filius non est factus; sed sicut principium essendi, quia dat sibi esse. Ergo quamdiu Filius habet esse, Pater dat sibi esse, quae datio est generatio. Cum igitur Filius verissime dicatur semper esse, et magis quam fuisse, verius diceretur semper nasci quam semper natus.

3. Contra, illud quod est semper in fieri, est imperfectum. Sed quod semper nascitur, significatur semper ut in fieri. Ergo significatur ut imperfectum. Ergo non proprie dicitur Filius semper nasci, cum ab eo secludatur omnis imperfectio.

4. Praeterea, omne illud quod consequitur generationem secundum modum intelligendi, est quasi terminus generationis. Sed relatio filiationis consequitur generationem secundum modum intelligendi. Ergo se tenet ex parte termini generationis. Sed terminus generationis non significatur per praesens, sed per praeteritum. Ergo Filius verius dicitur natus quam nascens.

Solutio. Respondeo dicendum, quod, sicut di-

etum est superius, dist. 8, qu. 2, art. 3, nullum verbum alicuius temporis perfecte aeternitatem repraesentat. Unde cum generatio Filii sit aeterna, ut dictum est, dist. 4, qu. 1, art. 1, non sufficienter exprimitur per verbum alicuius temporis; unde per diversorum temporum verba significari potest, ut quicquid est perfectionis in quolibet tempore, divinae generationi attribuitur, et omnis imperfectio excludatur. Cum igitur in omni inferiori generatione vel in quocumque fieri, ipsum esse sit imperfectum, quia huiusmodi non sunt nisi in fieri, et perfectio non est nisi quando fieri terminatur, et tunc esse non retinet generatio creaturae, sicut etiam in termino motus non est motus; in divina tamen generatione invenitur simul et perfectio et esse. Unde ad significandum esse divinae generationis, quod nunquam transit, possumus uti verbo praesentis temporis, ut dicamus Filium generari a Patre; ad significandum vero generationis perfectionem possumus verbo praeteriti temporis uti, ut dicamus Filium natum; ut autem utrumque concludatur simul, scilicet perfectio et esse generationis, convenientissime dicitur semper natus; ut per sempiternitatem significetur esse generationis indeficiens, et per praeteritum tempus ipsius perfectio. Si autem diceremus, semper nascitur, designaretur solum esse generationis indeficiens, sed non perfectio; et ideo melius dicitur semper natus quam semper nascens. In aliis autem divinis quae non significantur ut in fieri, convenientius utimur praesentis tempore.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis praesens aeternitati conveniat maxime, quia ponit esse in actu, tamen in illis quae per modum fieri significant, importat imperfectionem, quia talia dum habent esse, imperfecta sunt; et ideo in talibus convenientius utimur praeterito, praecipue si addatur aliquid ad indeficientiam designandam.

Ad secundum dicendum, quod per illam rationem probatur quod esse divinae generationis nunquam transeat, et hoc significatur per praesens; tamen ex modo significandi, quia significatur per modum (1) fieri, importatur quaedam imperfectio; et ideo oportet uti praeterito tempore, et hoc sequentia argumenta concludunt.

Expositio textus.

Dicit autem Apostolus Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam. Contra, aut loquitur de essentiali sapientia, aut de sapientia genita. Si de essentiali, constat quod illa esset in Patre, etiam si Filius non esset, sicut et essentia. Sed de sapientia genita supra ab Augustino dictum est, distinet. 3, quod Pater non est sapiens sapientia quam genuit. Ergo etiam si Filius non esset, non sequeretur quod Pater sapiens non esset; et ita videtur ratio Augustini nihil valere.

Et dicendum, quod loquitur de sapientia essentiali, secundum quod est appropriata Filio. In appropriato autem, inquantum huiusmodi, intelligitur ratio proprii; et sic procedit Augustinus. Vel potest melius dici, quod loquitur de sapientia genita; non enim dicit, quod per illam sapientiam Pater sit sapiens, sed quod illam sapientiam habeat. Incon-

veniens autem est dicere, Deum nunc habere aliquam sapientiam quam non semper habuit, quia hoc poneret mutationem in ipso.

Quomodo igitur immutabilis Deus est? Videtur quod hoc non sequatur; quia secundum Philosophum (5 Physic., text. 10), in ad aliquid non est motus; et ita ex adventu relationis non potest concludi aliqua mutabilitas.

Praeterea, Deus per hoc quod dat esse creaturae, dicitur creator, et per hoc quod dat esse Filio, dicitur Pater. Sed non sequitur ipsum esse mutabilem, quamvis modo sit creator, et ab aeterno non fuerit. Ergo etiam non sequeretur quod esset mutabilis, si non semper Pater fuisset.

Ad primum est dicendum, quod quamvis in ad aliquid non sit motus sicut in eo quod terminat motum per se, ut quantitas et qualitas (1) sunt termini motus per se; tamen relationes novae non possunt innasci realiter in aliquo nisi per motum; quamvis enim relatio non sit terminus motus per se, tamen consequitur motum, sicut augmentum consequitur aequalitas.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est, dist. 7, qu. 2, art. 1, relatio quae Deo relative dicitur ad creaturam non est realiter in ipso Deo, sed in ipsa creatura, quae mutatur; paternitas autem realiter est in ipso Deo, quia est proprietaria constitutiva personae; unde non posset esse de novo Pater sine mutatione sui.

Vox silet, non mea tantum, sed et Angelorum. Vox Angelorum haec dicitur, quam exprimitur corporaliter in corporibus assumptis; vel ipsa spiritualis locutio ipsorum dicitur, secundum quod conceptio- nes suas ordinant ad innotesendum. Alibi tamen hoc habet quaeri in 2.

Scrutari non licet superna mysteria; ut quis transcendere velit limites fidei de temporali generatione; quae quidem ineffabilis est (2), inquantum terminatur ad unionem in persona Dei; tamen quodammodo est effabilis ex parte ipsius corporis assumpti, quod de virgine tractum est.

Quoties ortum fuit lumen ex quo splendor oritur, toties oritur et splendor claritatis. Haec similitudo relata ad aeternam generationem (3) intelligenda est non secundum interruptionem actus, quae in ortu luminis corporalis lumen facit (eo quod sol corporalis non semper praesens est); sed secundum continuationem tantum.

Vivens Deus, et naturae aeternae, viventis potestas est. In his verbis intendit Hilarius concludere Filium a Patre genitum viventem esse sicut cuiuslibet naturae intransibilis vel aeternae esse potestas viventis; id est, ut vivum producat, secundum quod ipsa vivit. Sed Deus vivens est, ergo potestas sua est ut vivum ex se generet. Vel sic. In quolibet vivo invenitur potestas quae debetur vivo. Sed Deus est vivens. Ergo in eo invenitur potestas quae debetur vivo. Haec autem est ut vivum ex se producat. Ergo Filius, qui ex eo producit, vivens est. Primi igitur syllogismi majorem subicit, minorem ponit ibi: *vivens Deus etc.* Conclusionem, quae est major secundi, tangit cum dicit: *Et naturae aeternae, viventis potestas est;* id est naturae aeternae

(1) *Al.* aequalitas, *per se*.
(2) *Al.* unitatis ineffabilis est.
(3) *Al.* regenerationem.

est potestas viventis, id est quae debetur viventi. Secundi syllogismi minorem subicit, conclusionem ponit ibi (1): *Et quod (2) cum sacramento scientiae suae ex eo nascitur non potest aliud esse quam vivens;* Filius qui nascitur ex Patre, cuius civitatis secretam scientiam solus Pater habet comprehendendo. Non potest ergo esse aliud quam vivens. Et sumitur hic sacramentum, prout dicitur sacrum secretum.

Omnia viva sua ex vivente testatus est, id est omnia attributa, quorum quolibet in Filio vivit.

Perfectum nativitatis, id est, perfectam rationem et nomen nativitatis.

Non enim novum est quod ex vivo generatur in vivum. In his enim quae per transmutationem generantur, quamvis generatio quae est a vivente, terminetur ad vivum, tamen in principio generationis

(1) *Al.* additur in his verbis lateri.
(2) *Al.* qui.

DISTINCTIO X.

Hic de Spiritu sancto agitur, et primo, quod sit amor Patris et Filii, dicitur.

Nunc post Filii aeternitatem, de Spiritu Sancto, quantum Deo donante videre conceditur, disseramus. Spiritus sanctus amor est, sive caritas sive dilectio Patris et Filii. Unde Augustinus (in 13 lib. de Trinit., cap. 17) ait: *« Spiritus sanctus nec Patris est solus, nec Filii est solus, sed amborum; et ideo communem, qui invicem se diligunt Pater et Filius, nobis insinuat caritatem. »*

Quia Spiritus sanctus proprie dilectio dicitur, et tamen Trinitas sit dilectio.

Joannes autem in Epistola 1 canonica (cap. 4, 16) ait: *« Deus caritas est; non dixit, Spiritus sanctus caritas est; quod si dixisset, absolutior esset sermo, et non parva pars quaestionis decisa. Sed quia dixit: « Deus caritas est, » incertum est, et ideo quaerendum est, utrum Deus Pater sit caritas, an Filius, an Spiritus sanctus, an Deus. Ad quod Augustinus (in eod. lib. et cap.) ita dicit: « Nescio cur sicut sapientia et Pater dicitur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes, non tres, sed una sapientia; non ita et caritas dicatur Pater et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes una caritas. Non ideo tamen quisquam nos inconvenienter aestimet caritatem appellare Spiritum sanctum, quia et Deus Pater et Filius potest caritas nuncupari, sicut proprie Verbum Dei etiam sapientia Dei dicitur, cum Pater et Spiritus sanctus sint sapientia. Si ergo proprie aliquis horum trium caritas nuncupari debet, quis aptius quam Spiritus sanctus? Ut scilicet in illa simplici summarque natura non sit aliud substantia et aliud caritas, sed substantia ipsa sit caritas, et ipsa caritas sit substantia, sive in Patre sive in Filio sive in Spiritu sancto; et tamen Spiritus sanctus caritas proprie nuncupetur? » Ecce his verbis aperte ostendit Augustinus quod in Trinitate caritas aliquando refertur ad substantiam quae communis est trium personarum et tota est in singulari, aliquando specialiter ad personam Spiritus sancti; sicut sapientia Dei aliquando pro substantia divina, aliquando pro Filio proprie accipitur; et hoc in multis fieri reperitur.*

Exemplis confirmat, eandem nomen et proprie et universaliter accipi.

Pluribus enim exemplis doceri potest, multa rerum vocabula et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi, sicut legis nomine aliquando simul omnia veteris Testamenti significantur eloquia, aliquando autem proprie vocatur lex quae per Moysen data est. Multa alia supponunt exempla; sed in re aperta vitanda est longitudo sermonis. Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiae, cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipsa sapientia.

S. Th. Opera omnia. V. 6.

quod generatur non est vivum. Sed Filius Dei semper vivus est. Ergo non per decisionem vel mutationem genitus est; et ita oportet quod vita Patris eademque numero in Filio sit; et propter hoc subiungit, quod necesse est ut in vivente vivat, scilicet Filius in Patre, inquantum Filius est vita Patris, qui in Patre vivit; et eodem modo in se habeat vitam viventem, id est essentiam Patris, qui est vita vivens.

Cui immasculatilitas esse inaginem, sacramento nativitatis impartit; id est, sui immasculabilis: non enim Filius Patrem in immasculatilitate imitatur.

Si gignenti est infinitum gignere, et nascenti infinitum etiam nasci est. Infinitum sumitur hic negative, non privative; generatio enim passiva vel activa, nullo fine terminatur vel comprehenditur. Non tamen dicenda est infinita per modum quantitatis, sicut tempus vel motus, quia sic nunquam esset perfecta.

ita; ita Spiritus sanctus proprio vocabulo caritas nuncupatur, cum sit et Pater et Filius universaliter caritas.

Auctoritatem ponit, quod Filius proprie dicatur sapientia.

Sed Dei Verbum, id est unigenitus Dei Filius, aperte dicitur esse Dei sapientia eorum discipulis (1 Corin. 1, 24); « Christum Dei sapientiam et Dei virtutem; » Spiritus autem sanctus ubi sit dicitur caritas invenimus, si diligenter Joannis Apostoli eloquium scrutemur, qui cum dixisset (1 Joan. 4, 7): « Diligamus invicem, qui dilectio ex Deo est; » adjunxit: « Et omnis qui diligit ex Deo natus est, quia Deus dilectio est. » Hic manifestavit se dixisse eam dilectionem esse Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio. Sed quia et Filius ex Deo Patre natus est, et Spiritus sanctus ex Deo Patre procedit; quem potius eorum hic debeamus dictum accipere esse dilectionem, merito quaeritur. Pater enim solus ita Deus est ut non sit ex Deo; et ideo dilectio quae ita est Deus ut ex Deo sit, non ipse Pater est, sed aut Filius aut Spiritus sanctus. Sed in consequentibus cum Dei dilectionem commemorasset Joannes quae dilectio nos, et hinc hortatus esset ut et nos invicem diligamus, atque ita in nobis Deus maneat, quia utique dilectionem Deum dixerat, statim volens de hac re aperius aliquid eloqui, inquit (ibid. 13): « In hoc cognovimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis. » Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, et ipsum in nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipse ergo Deus est dilectio. Deus ergo Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, significatur, ubi legitur (1 Joan. 4, 7 et 8): « Deus dilectio est . . . et dilectio ex Deo est. » Ecce his verbis aperte dicit Augustinus, Spiritum sanctum esse caritatem Patris et Filii; et intantum quoque sermonem produxit, ut videretur dixisse, Spiritum sanctum non solum esse dilectionem Patris et Filii, quae se invicem et nos diligunt; sed etiam dilectionem qua diligimus Deum. Sed utrum ipse sit caritas qua nos diligimus Deum, in sequenti explicatur.

Restat ostendere quod proponitur, scilicet quomodo Spiritus sanctus sit amor quod Pater a Filio et Filius a Patre diligitur.

Nunc ergo quod incipimus, ostendere ceterum; scilicet Spiritum sanctum dilectionem esse, sive amorem Patris et Filii, quod scilicet Pater diligit Filium, et Filius Patrem. De hoc Hieronymus (super 17 Psalm.) ait: « Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filium, et Filius in Patrem. » Augustinus quoque (in 6 lib. de Trinit., cap. 4, in fin.) ait: « In omnibus aequalis est Patri Filius, et est unius ejusdemque substantiae. Quia propter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiae et aequalitate subsistit. »